

a. 1118, Cartario di S. Lorenzo, p. 25-26, doc. XVII

(pubblicato anche in: RNAM, Vol. VI, doc. DLXXII)

✠ In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno ab incarnatione eius millesimo centesimo octavo decimo, mense maii, undecima indictione. Ego Gaufridus, qui vocor de Medania, Suessulanorum et Acerranorum, plurimorumque aliorum divina quadam providentia senior, divino spiritu compulsus, pro redemptione ac mercede animae meae, genitorisque mei, et meae uxoris, ac Roberti barbani mei, atque omnium parentum, ut aput piissimum, dum de peccatis nostris indulgentiam atque requiem invenire valeamus, declaro quia in praesentia nostrorum militum meique iudicis et aliorum testium, per hanc cartam offero, atque trado, do et ecclesiae Sancti Laurentii, quae ecclesia est constructa in territorio Aversano, et tibi domino Mattheo, prudentissimo ac religiosissimo abbati predictae ecclesiae Beati Laurentii martiris, pro parte et vice Sancti Petri apostoli in vincula, in loco ubi mons Cancelli nuncupatur, sita est non multum longe Suessulae, primitus namque omnes res et terras, quas tenuerunt et dominaverunt custodes praefatae ecclesiae Beati Petri apostoli, usque nunc; et, insuper decimas, tota et integra de territorio Suessulano; de omnibus rebus mobilibus et immobilibus, quod est in medio dominio, et decimas nominatim de platea predictae Suessulae, et decimas de platea Acerri, quae est in medio dominio, et tota et integra platea, quae pergit ante iam dictam ecclesiam Sancti Petri, et totum et integrum molinum, qui cognominatur Adarchi, et totum et integrum molinum, quod est iuxta molinum ecclesiae Beatae Dei genitricis et virginis Mariae et domini Giraldis episcopi, et tota et integra fusara, quae cognominatur Mefite; et haec fusara, sub hac videlicet ratione, ut nullus de hominibus nostris Suessulae aut de Acerrae, nec de tota terra Paludis audeat linum mittere vel ponere in alia aqua, nisi in praedicta fusara, et terra quae est iuxta fusara, quae vocatur Cannetum, et videtur esse inter hos fines: ab uno latere terra Gemme Brugae, et terra Guffridi Malesii, et predictae Mefitae, et terra mea videlicet quae est iuxta fusara, et iuxta viam quae pergit ad Cicolam, et terram uxoris Coisnelli, et iterum terra Gauffridi Malesii, et terra Mariae Petri Argente, et terra Lanfulfi Roccae, et terra Iohannis Normanni, et terra Fuschae, et terra Petri Bassalli, et terra Gustabilis Mariae de Tanzo, et iterum terra praedictae Marie Argente, et terra Dotedi Patari, et iterum terra predictae Fuschae uxoris Sparani, et terra Iohannis de Casali, et iterum terra predicti Petri Bassalli, et adhuc terra mea, et terra Potefridi, et terra Carbonic, et terra Martini Adopedi, et iterum terra mea, et terra Robberti filii Petri, et terra predicti Petri Bassalli; ab alio latere silva quae dicitur Casale, et terra Iohannis Ioffridi, et terra predictae uxoris Caisnelli, et terra mea, et terra predictae Argente et terra Petri Malagdi et iterum terra mea et terra predictae uxoris Caisnelli, et terra Stadii infantis; ab uno capite terra predictae ecclesiae Sancti Petri, et terra Gemae Scilfanae et terra Petri presbiteri Ofridi, et terra Iohannis Alphi; ab alio namque capite terra mea, et terra Sancti Michaelis arcangeli, et terra predicti vassalli, et terra Landulfi Roke. Haec omnia, qualiter hic supra legitur, totum et integrum illud do et ecclesiae Sancti Laurentii et tibi domino Mattheo venerabili abbati, pro parte et vice ecclesiae Santi Petri apostoli, concessi, et tradidi atque offerui, ad honorem et possessionem predictae ecclesiae Beati Petri; et nec mihi, nec uilibet alteri homini ad habendum inde nullam reservavi, sed cunctum et integrum illud predictae ecclesiae concessi, et tradidi atque offerui, ea videlicet ratione, ut amodo et semper tu predictus domnus Mattheus religiosissimus abbas, tuique successores, pro parte iam praedictae ecclesiae, securo nomine habeatis et possideatis cessionem, et confirmationem, et traditionem atque offertionem; et omnia quae solveritis inde faciatis ad honorem et possessionem praedictae ecclesiae Beati Petri apostoli, ita

quippe ut nullus honoris vel dignitatis magna parvave persona ex hac concessione, et traditione atque offertione praedictam ecclesiam, vel suos abbates, aut rectores disvestire, aut fatigare praesumat. Quod si forte quis temerario ausu facere praesumpserit, sciat se decem libras auri purissimi compositurum; si quis autem hanc concessionem, et traditionem atque offertionem, vel ante vel post obitum meum, hoc quod praelegitur, quocumque modo dirumpere, retornare vel remove tentaverit, sit maledictus et excommunicatus, sicut Datan et Abiron, et ab universali Sancta Ecclesia separatus, usque dum ad satisfactionem eiusdem ecclesiae rectorum suorum venerit. Quod ut certius credatur et diligentius observetur, manu propria subterscripsimus, et hoc scriptum nostri sigilli impressione insigniri iussimus, et tibi Rainaldi, presbiter et notari, scribere iussi.

✘ Ego qui supra Gaufridus Medanie

✘ Ego Sikelgarda sua cognux

✘ Ego Gulferanius

✘ Ego Anse

✘ Ego Erbertus Ioanne

✘ Ego Gaufridus Malesius

✘ Ego Petrus Vassallus

✘ Ego Gaufridus presbiter

✘ Ego Robertus de Medania do et confirmo causam istam

✘ Ego Guimundus Mucogrossus

✘ Ego Riccardus de Venabla

✘ Ego Rugalem de Ponte Ulgone

✘ Ego Ioscelanus Caput de asina.